

HORATIANA

SCRIPSIT

PETRUS CORSSEN

SPECIMEN PRIMUM
QUOD ADICITUR AD PROGRAMMA
GYMNASII BISMARCKIANI WILMERSDORFIENSIS.



TYPIS EXPRESSIT
BERNHARDUS PAUL BEROLINENSIS
ANNO MDCCCIII.

gde
10 (1903)

100.

HORATIANA

TIBULLUS

DE RUSTICA

DE RUSTICA

DE RUSTICA

DE RUSTICA



UNIVERSITÄTS- UND LANDESBIBLIOTHEK DÜSSELDORF

UNIVERSITÄTS- UND LANDESBIBLIOTHEK DÜSSELDORF

UNIVERSITÄTS- UND LANDESBIBLIOTHEK DÜSSELDORF



Carminis Horatiani quod nonum inter iambos numeratur, Franciscus Buechelerus cum anno MDCCCLXXVIII artis illius in qua a nullo superatur specimen iudicii et sani et eruditi plenissimum ederet, rectius interpretandi viam unus monstravit idemque munivit, cum *nauseam* illam *fluentem* (v. 35) nullam aliam nisi navigantium in stomachis maris aestuosi motibus excitatam nostrum dicere docuit¹⁾. In quo quod praeter Friedrichium²⁾ nemo quantum scio eum secutus est non possum non mirari. Quid? qui quotiescumque vel ad insane potandum provocat poeta tali spurcitia qualis ab interpretibus insimulatur prudentissime abstinet, hoc uno loco modici transiliret munera Liberi, praesertim cum nulla esset exultationis causa? Non enim gaudio elatus, sed ut cura metuque se solvat, capaciores poscit scyphos. Deinde ne sit his extremis verbis initium convivii significatum, ut existimat Buechelerus, sed sint iam in bibendo convivae occupati, certe nondum in extremam ebrietatem deducti erant, cui interiore quadam nota medendum esset (quod num omnino fieri possit, rerum symposiacarum peritiores viderint), quippe cum gravissimarum rerum copiosa mentio facta esset earumque quas in conviviis noster procul habebat. Atque ut ei quorum stomachus in vomitiones effundebatur, mero remedio utebantur (Plin. N. H. XXIII, § 43), sic fuisse qui certa

¹⁾ Index scholarum, Bonnae MDCCCLXXVIII/LXXIX, p. 13.

²⁾ Gustav Friedrich, Q. Horatius Flaccus, Leipzig, Teubner, 1894, p. 26.

aliqua vina stomachum ad mala navigationis perferenda idoneum reddere putarent minime incredibile est, ut hodie quoque sunt, qui certis liquoribus freti laeti et hilares in altum navigent, post tristi vultu Neptuno debita sacra facere cogantur.

Dubium igitur esse non potest, quin aut in nave haec cantaverit Horatius aut se cantavisse fingat. Atque hic totius carminis quasi cardo vertitur; nec enim singulae eius partes nec universum intellegi poterit, nisi et ubi et quando confectum sit intellectum erit.

At sunt qui ne ipsum quidem Maecenatem, nedum Horatium, proelio Actiaco interfuisse sibi persuaserint. Quibus cum satis accurate Buechelerus respondisset, non debuit denuo Gardthausenus ad Cassium Dionem provocare¹⁾, e quo non minus Maecenatem quam Agrippam ab Actio afuisse conicere licet. Nam quod dicit tum (τότε) Maecenati et Romam et reliquam Italiam commissam fuisse (II, 3, 5), non spectat ille quidem quod ante, sed quod post proelium fuit tempus, quoniam quas in angustias veteranis post Actium dimissis res publica adducta sit hoc loco enarrat. Neque enim erat cur Caesar Romae relinqueret qui sua vice fungeretur, dum omnium oculi ad Actium erant conversi, sed postquam armis inter ipsum et Antonium disceptatum est et iam ille omnia unus tenuit, praesertim Italia veteranorum copiis mercedem victoriae impatienter flagitantium oppressa, Urbs eo carere non potuit qui intimis Caesaris consiliis initiatus rebus difficillimis provideret. Atque adfuisse Caesari in ipso proelio Maecenatem testis est auctor illorum in Maecenatem eleanorum a Buechelero excitatus, quem cum Gardthausenus ipse quoque adferret ne verbo quidem eius fidem infirmare conatus est (II, 187).

v. 45 *Cum freta Niliacae texerunt laeta carinae
fortis erat circum, fortis et ante ducem.*

Quae quisquis fuit qui post mortem Maecenatis obrectatoribus eius opposuit, certe non tam fuit stolidus aut

¹⁾ Gardthausen, Augustus, II p. 188; cf. I p. 365.

impudens, ut ea inveniret quae ab illis facillime refutari possent¹⁾.

Nec minus ipsius nostri testimonium valet, qui cum bellum esset paratum a Maecenate flagitavit, ut cum eo proficisci sibi liceret. Ergo comitaturum esse Maecenatem Caesarem certum et exploratum erat. Quomodo igitur factum esse credamus ut postea ab hoc consilio discederetur? An tam non sibi constabat Octavianus aut quicquam accidit quod provideri non potuerit, cur Maecenas relinqueretur? Iam diligenter ipsa verba Horati recordere: num eius sunt qui dubitet, quin quod petat ut sibi concedatur impetraturus sit?

*Utrumne iussi persequemur otium,
non dulce ni tecum simul,
an hunc laborem, mente laturo decet
qua ferre non mollis viros?*

I. e. „Otiumne nos persequi iubebis an militiae labores? mollesne et delicatos nos iudicas an fortes tuique vere amantes, qui tecum mortem milies oppetere malimus quam te absente de tuis fatis solliciti otio uti invito et odioso?“

*Feremus! et te vel per Alpium iuga
inhospitalem et Caucasum
vel occidentis usque ad ultimum sinum
forti sequemur pectore.*

„Fieri non potest ut nos te sequi vetes, et hunc et hoc, si opus sit, multo maiores subeamus labores (pro eo quod traditum est *sequemur* scribendum esse *sequamur* putaverim). Atque ut miles imperatorem quocumque iusserit

¹⁾ In duo post Scaligerum carmen illud quod in libris mss. continue scriptum unum exstat dividi solet, sed tria sunt, ni valde fallor (I, v. 1—106; v. 107—144; II, 1—34). Quae quo fere tempore scripta sint, adhuc sub iudice lis est. Post Senecam philosophum ea confecta esse a plerisque putantur, quod prima elegia Maecenas ab eisdem quae in ep. 114 ei obiciuntur defendatur. At Seneca primus per litteras propter molliem et luxuriam Maecenatem in censuram vocasse credendus est?

se secuturum esse iurat, ita nos tecum per montes et maria, si sic volueris, usque ad finem terrarum ibimus.

*Non ego perfidum
dixi sacramentum: ibimus, ibimus,
utcumque praecedes, supremum
carpere iter comites parati.*“

Non flagitantur talia a cliente, nisi iam a patrono concessa sunt, nec equidem Horatium cum ad Maecenatem iamborum mitteret libellum hoc carmen in fronte positurum fuisse putaverim, si id ipsum quod petisset a Maecenate recusatum esset.

Neque vero in ceteris Horati carminibus vestigia desunt e quibus eum belli Actiaci participem fuisse conicere liceat. Verba enim illa:

*Tibur Argeo positum colono
sit meae sedes utinam senectae,
sit modus lasso maris et viarum
militiaeque,*

si Horatius post Philippos omne tempus quietus in Italia peregisset, sensu plane carere rectissime mea quidem sententia Friedrichius statuit (p. 24), a quo hoc uno dissentio, quod genitivos *maris et viarum militiaeque* cum adiectivo *lasso* coniungendos esse censeo. Idem enim haec verba valent atque *lassitudini maris et viarum militiaeque*, cui modum noster imponi desiderat (cf. I, 24, 1 *Quis desiderio sit pudor aut modus tam cari capitis*). Simillime Tacitus Ann. II, 14 huius loci memoria sive conscius sive inscius adductus, si taedium viarum ac maris finem cuperent milites, instanti acie parari Germanicum dicentem facit. Tibure igitur militiae molestiis se relaxari cupit, id quod ab Actio redeunti suo iure pronuntiare licuit, annos minimum plus undecim militia iam vacantem valde dedecuit. Cui sententiae ne verba illa *sed me per hostes Mercurius celer denso paventem sustulit aere* q. sq. (II, 7, 13) obstare putes, quasi cum Pompeius amicus Marti addictus esse perseveraret, noster ipse in perpetuum arma bellumque

vitasset. Sed ita duorum amicorum res inter se differabant, ut alter partes Caesari contrarias usque ad Actium sequi non desineret, alter longo temporis intervallo non ipse arma gereret, sed ut Ennius cum Fulvio Nobiliore ita hic cum Maecenate in bellum proficisceretur.

His alia addi possunt. Vides enim in versu illo explicando *me primis urbis belli placuisse domique* (Ep. I, 20, 23) quantum laborent interpretes, cum verba *belli domique* quo referenda sint dubitantes praeter Maecenatem alii (velut Kiesslingius, qui verba *primis urbis* et *belli domique* inter se coniungi vult) Agrippae hostium victori, alii (velut Kruegerus) Bruto, sub quo meruerit, nostrum se placuisse significare dicant. Atque primum id quidem non esse dubium mihi videtur, quin neque Brutum Horatius cum haec scriberet in primis urbis habere voluerit et *belli domique* ad *placuisse* pertineat. Deinde ne id quidem neglegendum est, quod non carmina sua, sed ipsum se principibus civitatis placuisse dicit, ut Sat. I, 6, 62 *magnum hoc ego duco, quod placui tibi*, id quod fieri non potuit, nisi una cum eis in bello aderat. Iam quos Sat. I, 10, 85 sq. commemorat principes civitatis, quibus sua se velle arridere dicit, Messallas, Servios, Furnios alios vel omnes vel partim cum Octaviano in bellum Actiacum profectos esse veri simillimum est, quoniam Caesarem sequi noluisse Asini Polionis proprium fuit et singulare (Vell. Pat. II, 86).

Tantum igitur cum Buechelero et qui eum sequitur Friedrichio¹⁾ consentio, sed relicta sunt alia, ni fallor, haud minora explicanda. Atque ut leviozem quandam rem nec tamen illam quidem neglegendam primam attingam, facere non possum quin in v. 36 *metire nobis Caecubum*²⁾

¹⁾ Cf. eundem p. 33 sq. de ep. I, 20, 23.

²⁾ Fuit qui *Caecubum* defenderet Buechelerus cum premeret verbum metiendi („puer Caecubum laborantibus ad mensuram praebet“ p. 13). Atque vir doctissimus Otto Morgenstern, quocum de hoc loco disputabam, acutissime censuit, si ita scriptum esset, id certissimo esse argumento hos iambos non esse Romae confectos; potuisse enim Caecubum in nave quasi medicinam posci, non potuisse Romae in convivio, postquam dictum sit: *quando repostum Caecubum ad festas dapes*.

graviter offendam. Quid? quod vinum bibere nondum sibi licere questus est, idem iam nostro ad nauseam coercendam bonum videtur? Nec Chia nec Lesbia sane nullius pretii erant vina, sed Caecubum quocumque loco ut aut diebus festis aut superbae ostentationis causa bibi solitum commemoratur. Itaque hoc recte traditum esse mihi persuadere non possum atque facile fieri potuit, ut prima eius quod olim scriptum erat nominis syllaba corrumperetur, si in sequentem versum oculus librarii aberravit, ubi Caesaris nomen paene eodem loco scriptum invenitur. Difficile non est ex immenso vinorum a Plinio enumeratorum numero quod in hunc locum quadret eligere, tamen quis pro uno magis quam pro altero spondeat?

Sed existit hoc loco quaestio quaedam multo gravior, num Horatius in ipsa nave, in qua proelio Actiaco interfuerit, sub vesperum eiusdem diei, quo proelium factum est, id quod affirmat Buechelerus, hoc carmen scripserit. Qua de re quo diutius et diligentius cogitabam, eo longius a summi viri sententia discedendum esse cum intellexissem, multum temporis id quod unum verum mihi esse videretur me unum vidisse miratus nec, ut verum fatear, non gavisus eram, cum in Kromayeri egregiam de proelio Actiaco incidi dissertationem¹⁾, quam neminem intellegentem non cum summa voluptate legere posse putaverim, ex qua id ipsum, quod meum unius inventum esse imprudens putaveram, viri sagacissimi aciem minime fugisse perspexi. Qui cum suam sententiam quam paucissimis eo loco²⁾ adumbratam ad hunc diem nondum longius explicasset, postquam mihi per litteras quaerenti, quando quod olim promisisset solvere ei in animo esset, qua est animi liberalitate benigne respondit sibi haudquaquam displicere, si ego sua vice fungerer, iam ego id quod uterque nostrum alter ab altero

¹⁾ Kleine Forschungen zur Geschichte des zweiten Triumvirats. VII. Der Feldzug von Actium und der sogenannte Verrat der Cleopatra. Hermes, XXXIV. 1899.

²⁾ P. 39, Adn. 3.

plane alienus sibi persuasit, meis argumentis comprobare studebo.

Quos tractamus iambos post proelium Actiacum scriptos esse poeta ipse satis declarasse videtur, cum diceret:

Terra marique victus hostis punico

lugubre mutavit sagum:

aut ille centum nobilem Cretam urbibus,

ventis iturus non suis,

exercitatus aut petit Syrtes Noto,

aut fertur incerto mari.

At mirum quod de ipso proelio quae a nullo alio tradita sunt commemorat, quae et ceteri fere omnes et ipse alio loco memoriae prodiderunt silentio praetermittit. Nam duo milia equitum Gallorum ad Caesarem transfugisse navesque hostium in portu latuisse unus est testis Horatius, vix unam navem ab ignibus sospitem remansisse parum dignum, ut videtur, iudicavit de quo verba faceret. An hoc propterea omisit, quod id ipsum de Sexto Pompeio modo ita dixerat, ut de Antonio idem vix aliter dici potuisset? At non in hoc ipso summa rerum inerat? Quo modo igitur fieri potuit, ut Horatius de pugna Actiaca dicturus de Pompeio talia proferret, quae ad Antonium an referenda essent dubitari posset? Deinde navale fuisse proelium Actiacum traditum est. Cur igitur terra marique ab nostro hostis victus esse dicitur? Terra a. d. IV. Non. Sept. Antonius victus non est, quod terra non est pugnatum. Et si duo milia equitum dum navibus dimicatur in castra Caesaris transierunt, quod fieri potuisse qui rerum Actiacarum paulo peritior est negabit, certe id dignum non erat quod ipsa splendidissima victoria navali paene altius efferretur.

Tum quod ad naves in portu latentes attinet, alii, velut Nauckius, partem navium toto proelio abinentem in portum se abdidisse, alii, velut Kiesslingius, quae Antonium fugientem non essent secutae eas in sinum Ambracium revertisse interpretantur, Friedrichius trecentas naves cum ab ignibus recessissent per noctem tutas in

sinu stetisse affirmat. Ex quibus Friedrichius id quidem recte vidit ad totam hostium classem, non ad partem aliquam navium haec spectare, nam si partem tantum intellegi voluit, id ipse debuit dicere noster, non divinandum relinquere legentibus. Sed quoniam a Plutarcho Friedrichius trecentas illas naves sumpsit, debuit et id ab eo sumere decima hora, i. e. quarta post meridiem¹⁾, eodem quo pugnatum est die eas Caesari se dedidisse: Ἐν Ἀζίῳ δὲ πολλὸν ὁ στόλος ἀντιστῶν Καίσαρι χρόνον καὶ μέγιστον βλαβεῖς ὑπὸ τοῦ κλύδωνος ὑψηλοῦ κατὰ πρόωρον ἵσταμένου, μόλις ὥρας δεκάτης ἀπέπε. Καὶ νεκροὶ μὲν οὐ πλείους ἐγένοντο πενταχισθίων, ἐάλωσαν δὲ τριακόσαι νῆες (Ant. c. LXVIII). Sed maluit vir doctissimus suum genium sequi quam et apertissima auctoris sui verba et quae a ceteris antiquis scriptoribus de proelio Actiaco tradita sunt. Neque enim certe ex eis quae apud Suetonium leguntur, pernoctavisse Caesarem victorem in nave (Aug. c. 17), conicere licet postero demum die naves deditas esse nec magis ex Orosio dicente ab hora quinta usque in horam septimam incerta vincendi spe gravissimas utrimque caedes factas esse, reliquum diei cum subsequente nocte in victoriam Caesaris declinavisse (VI, c. 19).

Quodsi Antonium proelio victum et fugatum navibusque suis orbatum esse constat, quis erit qui putet fuisse Caesarianos qui tum euris opprimerentur, non laetitia exultarent? Atque si qui sunt adhuc qui Romae hoc carmen scriptum esse credere pergant, dicant eumne fuisse Octavianum fingant, qui Antonio victo et fugato eiusmodi nuntium praeclarissimae victoriae Romam mitteret quo omnium animi rerum eius metu afficerentur?

Iam velim initium carminis paulo diligentius tecum consideres:

*Quando repostum Caecubum ad festas dapes
victore laetus Caesare
tecum sub alta — sic Iovi gratum — domo,
beate Maecenas, bibam*

¹⁾ V. Kromayer p. 48, 3.

*sonante mixtum tibiis carmen lyra,
hac Dorium, illis barbarum?
ut nuper, actus cum freto Neptunius
dux fugit ustis navibus.*

Nonne satis accurate noster declaravit tum Caesarem victorem celebrare fas esse futurum, cum eodem modo Antonius quo nuper Pompeius ustis navibus fugisset? Ustae igitur naves nondum erant, clades acceperat hostis et terra et mari neque tamen classis exercitusve eius deleta erant. Morabatur adhuc Triumphus aureos currus, i. e. in extremum discrimen res nondum venerat. Neque enim ipso summae victoriae tempore Triumphus qui victores ex ipsis bellis domum reportare fingitur currus suos morari dici poterat, quippe cum nulla re plus quam victoria ad triumphum profici potuerit. An putas cum Kiesslingio Horatium tum praesagisse Caesarem nisi duobus annis post, Id. Sext. a. DCCXXV, triumphaturum esse?¹⁾ At ineptissimum erat quaerere, quando cum Maecenate in eius domo poturus esset, si proelio iam depugnatum fuisset. Dimissi enim sunt post proelium veterani, rediit in Urbem Maecenas et una cum eo Horatius nec erat quod obstaret, quin Caesaris victoria laeti dapem festam in Esquiliis pararent.

Atque ipsum proelium factum nondum esse clamat omne poema:

*Romanus eheu — posteri negabitis —
emancipatus feminae
fert vallum et arma miles et spadonibus
servire rugosis potest,
interque signa turpe militaria
sol adspicit conopium.*

¹⁾ „Schon sieht der Dichter im Geiste Caesar auf vergoldetem Wagen die Sacra via herabziehen: aber noch muss er seine Erwartung zügeln: erst am 13. — 15. August 725 fand der Triumph statt; daher die ungeduldige Frage an den Gott des Siegesinzuges: du kannst noch zögern?“

Erat igitur adhuc emancipatus Romanus miles feminae, nondum erat sublatum turpe reginae conopium ex castris Antonianorum. Vere enim illa praesentia *fert potest adspicit* ad id quod tum erat tempus spectare eo quod sequitur comprobatur perfecto *verterunt*: quamquam Galli ad Caesarem transierant, Romani turpibus reginae spadonibus oboedire pergebant.

*At huc frementes verterunt bis mille equos
Galli canentes Caesarem.*

Bentleius qui recentes in errorem induxit, cum quod librorum mss. auctoritate destitutus scripsit *ad hoc* interpretatus est: *ad hoc conopium, ad hoc turpe spectaculum*, verum non prius divinavit quam dimisit, cum variis quae tum erant de hoc loco prolatae sententiis enarratis haec scriberet: *'Huc, inquit, id est ad nos, ad Caesaris partes.* Recte quidem, si carmen hoc in castris Caesarianis praesens scripsisset noster: is vero tum Romae erat cum Maecenate urbi praefecto. Cassius Dio, rerum Actiacarum omnium qui de eis scripta reliquere longe gravissimus, Deiotarum Philadelphum, regem Paphlagoniae, proelio equestri victum ut Caesaris partes sequeretur inductum esse narrat (L, 13, 5), de Amynta, rege Galatiae, etsi nihil simile dicit, tamen Antonium fidem ei non habuisse affirmat (§ 8), et post proelium cum ceteris regibus quidquid terrarum ab Antonio accepissent a Caesare eriperetur, Amyntae et Archelai regnum integrum relictum esse commemorat (LI, 2, 1). Quae cum ita sint, dubitari non potest quin Plutarchus recte memoriae prodiderit Amyntam quoque Antonium deseruisse (c. 63). Cum suis igitur dux ipse ad Caesarem transfugit. Quod quo fere tempore factum sit vidit Kromayerus (p. 24, 1). Amyntae enim cum Q. Dellio e Macedonia, quo ad milites mercennarios conducendos missi erant, redeunti Antonius cum obviam profectus esset, ipse proelio equestri a Caesarianis victus est (Dio L, 13, 8. 14, 3). Quo proelio facto nocte insequenti, ut videtur¹⁾, castra quae

¹⁾ Haec mihi quidem Dionis sententia videtur fuisse: ὁ οὖν Ἀντώνιος διὰ τε τοῦτο καὶ ὅτι καὶ αὐτὸς ἐπανελθὼν ἱππομαχίᾳ τινὶ πρὸς

a parte septentrionali sinus Ambracii Caesaris castris opposita habuit cum eis quae ab altera parte erant coniunxit. Traductis in hanc partem copiis et freto Ambracio a Caesarianis separatis occasionem transfugiendi si non singulis, at certe maioribus turmis ademptam esse apparet.

Rem vero ipsam, ut ait Bentleius, optime enarravit Porphyrio: 'Significat equitum Gallorum duo milia ab Antonii partibus ad Caesarem transfugisse; quorum ideo mentio facta est, ut Romanos, qui sub praepositis spadonibus aequo animo militarent, magis oneraret per comparisonem Gallorum, qui hoc dedignati ad Caesarem se contulerunt.' Neque tamen haec verba argumento sunt Porphyrionem in sua editione *ad hoc frementes* scriptum habuisse, quod idem censuit Bentleius. Quod enim dicit noster *hoc dedignati* id ad ea quae praecedunt pertinere apparet (*sub spadonibus militare dedignati*). Immo ipsam Gallorum post Romanos mentionem efficere, ut quantam subissent Romani ignominiam, quod spadonibus rugosis parere non erubescerent, cum ipsi barbari imperia reginae spernerent, satis sentiretur, egregie animadvertit Porphyrio. Iam vero *frementes* utrum ad equos an ad equites referendum sit quomodo dubitari possit, me parum intellegere ingenue fateor¹⁾. Aut fremit aut canit homo,

τῆς τοῦ Καίσαρος προφυλακῆς ἠττήθη, οὐδέτι' ἔργω δίχα στρατοπεδεύεσθαι, ἀλλ' ἐκλιπὼν τῆς νοκτὸς τὸ πλησίον τῶν ἐναντίων τάφρουρα ἀνεχώρησεν ἐπὶ θάτερα τοῦ πορθμοῦ, ἔνθα αὐτῷ τὸ πλεόν τοῦ στρατοῦ ἠδλίξετο (L. 14, 3).
Certe non cum Kromayero (p. 26, 7) ex Orosio tertio post illam pugnam die castra translata esse coniecérim, quippe qui res ita contractas et in angustum adductas habeat, ut post Corecyram primo vere captam unius proelii triduo ante proelium navale ad Caesaris castra facti mentionem faciat, quod num idem illud fuerit proelium equestre quod a Dione commemoratur aut omnino ad veritatem descriptum sit, parum constat: *Antonius defectu et fame militum suorum permotus bellum maturare instituit ac repente instructis copiis ad Caesaris castra processit et victus est. Tertio post pugnam die Antonius castra ad Actium transtulit navali proelio decernere paratus.* (VI, c. 19).

¹⁾ „Keller bemerkt treffend, dass die ‚schäumenden Rosse‘ in unserm Zusammenhange nichts zur Sache tun. Man kann weiter

quomodo autem natura hominum eosdem eodem tempore et canere et fremere sinat, me quidem fugit. Sed optime equos frementes et homines canentes noster comparavit, ut hominum clamoribus ipsas bestias excitatas esse significaret.

Eodem fere tempore quo proelium illud equestre factum est Sosius navium Antonianarum praefectus cum in naves aliquot Caesarianas aditum sinus Ambracii obsidentes impetum fecisset, ab Agrippa superveniente ipse, ut videtur, cum aliis ducibus interfectus est¹⁾. — Erat igitur Antonius terra marique victus navesque eius a fuga reversae in portu latebant.

*Hostiliumque navium portu latent
puppes sinistrorsum citae.*

Non video quid iam habeat difficultatis illud *puppes sinistrorsum citae*. E Dione apparet Sosium Agrippae improvise adventu ne maiore navium numero pauciores L. Taresii opprimeret impeditum esse. Apparente igitur Agrippa naves Antonianae sinistrorsum versae, ne ipsae ab Agrippa caperentur, in sinum Ambracium fugientes salutem petierunt.

Cladibus his terra marique acceptis iam in eo res erant Antoni, ut quo se verteret nesciret. Exercitu enim et fame et morbo laborante loco diutius manere sine summo periculo non potuit. Convocatum est consilium, in quo cum variae dictae essent sententiae, vicit Cleopatrae ut navibus pugnaretur suadentis (Dio L, 14, 4. 15, 1, 3).

gehen und sagen, dass sie das Bild stören, weil sie den Gedanken auf eine Nebenbeziehung lenken würden“. Friedrich, p. 29.

¹⁾ *Κὰν τούτῳ* (i. e. cum Antonius Amyntae et Dellio obviam iret) *ναυμαχία τις ἐγένετο. ὁ γὰρ Σύσσιος Λουκίου Ταραησίου ναυσὶν ὀλίγαις ἐφορμούντοσσι σφισιν ἐλπίσασ ἀξίῳν τι λόγου πράξειν, ἂν πρὶν τὸν Ἀγρίππαν ἐπελθεῖν συμβάλη αὐτῷ, ἐξανάχθη τε ἐξαπινάϊως ὑπὸ τῆν ἔω ὀμίχλην βαθεῖαν τηρήσας, ἵνα μὴ τὸ πλῆθος σφῶν προῖδὸν φύγη, καὶ παραχρῆμα τῆ πρώτῃ προσβολῇ τρεψάμενος αὐτὸν ἐπεδίωξε μὲν, οὐχ εἴλε δέ· τοῦ γὰρ Ἀγρίππου κατὰ τύχην ἀπαντήσαντός οἱ οὐ μόνον οὐδὲν τῆς νίκης ἀπώνατο, ἀλλὰ καὶ προσδιεφθάρη μετὰ τε τοῦ Ταραχονδιμότου καὶ μετ' ἄλλων πολλῶν. L, 14, 1, 2. De Sosio v. Kromayer p. 21, 4.*

Fabulam esse fictam illam de Cleopatrae prodicione Antoniumque id unum secutum esse consilium quod superesset, ut hostium navibus perruptis in Aegyptum se recipere conaretur, firmissimis argumentis effecit Kromayerus, quem ut ipsum adeant eis qui haec legent vehementer suadeo.

Demissum esse animum Antoni de victoria desperantis Caesari haud ignotum fuit (Dio L, 15, 3 et 23, 3). Quid mirum, si per castra rumor serpebat Antonium clam au-fugisse?

*Terra marique victus hostis punico
lugubre mutavit sagum:
aut ille centum nobilem Cretam urbibus,
ventis iturus non suis,
exercitatas aut petit Syrtes Noto,
aut fertur incerto mari.*

Horati, non Caesaris haec esse modo tecum consideres, et sperantis fortasse magis quam credentis nec nimis confidentis, ut quae sequuntur declarant.

Hoc ipso tempore, cum pugna navalis ab Antonio constituta et comparata per tempestatem fieri nondum poterat, carmen nostrum compositum esse rectissime statuit Kromayerus (p. 39, 3). Per quattuor enim dies vehementissima tempestate fluctus maris excitatos esse, quod legimus apud Plutarchum (c. 65), ut verum esse credamus faciunt verba illa

*vel quod fluentem nauseam coerceat
metire nobis.*

Non quo ipsum nostrum in nave commoratum esse putem. Non enim ad pugnandum in bellum profectus erat. Sed cum in Maecenatis, ut videtur, tabernaculo cum amicis in convivio adesset, rabies Noti, quam in ipso litore non poterant non sentire, naviumque in mari fluctuantium adspectus effecerunt, ut ipsi in navibus collocati esse sibi viderentur.

Quo tum animo fuerit cohors imperatoria, quomodo depingit poeta! Quintum iam mensem ad Actium inter

arma versabantur. Taedebat omnes tam longae militiae et quamquam nec Chiis nec Lesbiis vinis in castris carebant, tamen altam Maecenatis domum quam vehementissime desiderabant.

*Quando repostum Caecubum ad festas dapes,
victore laetus Caesare,
tecum sub alta — sic Iovi gratum — domo,
beate Maecenas, bibam?*

Aptissime etiam illud *sic Iovi gratum* interpositum est, i. e. *placeat Iovi, ut hoc tandem aliquando fieri possit.* — Ad decertandum autem proelio tum omnia erant parata et pulcherrimus rerum eventus instabat, cum tamen morae aliquid interpositum est. Itaque impatienter rogat noster:

*Io Triumphe, tu moraris aureos
currus et intactas boves?*

Victurus quin esset Caesar, quis erat qui dubitaret? Neque tamen omni metu curaque animi soluti erant. Varia enim et mutabilis est Fortuna nec certa nisi experta. Sic in summam expectationem adducti praesentis horae oblivionem e poculis quaerunt.

*Curam metumque Caesaris rerum iuvat
dulci Lyaeo solvere.*

Quod autem dicit *capaciores adfer huc puer scyphos*, id quidem non ipsius convivii initium indicat. Capaciores enim poscit scyphos qui ad acrius bibendum transiturus est, ut Trimalchio postquam comissator quidam iam ebrius in triclinium intravit et ipse *capaciorem* poposcit *scyphum* (c. 65). Biberant igitur iam ante, sed modice et de rebus gravibus inter se colloquentes, iam ut curas sollicitudinesque abiciant, dulci sodales Lyaeo totos se dedere iubet poeta.

Restat ut in unum, quod nondum attigi, inquiram:

*Io Triumphe, nec Iugurthino parem
bello reportasti ducem,
neque Africanum, cui super Carthaginem
virtus sepulcrum condidit.*

In quo si fortasse nimius fuisse visus ero, ea est causa, quod nuper in societate philologorum Berolinensium de his ipsis disputans cum Bentlei egregiam v. 25 interpretationem commemoravisse satis fore putavissem, contra dicentium impetu paene oppressus sum. Ex quo quantum errassem intellexi, cum quod mihi luce paene clarius esse videbatur alios vel valde dubium vel plane falsum iudicare viderem. *Africano* enim vel quod Madvigius coniecit *Africani* viri illi doctissimi mihi que summe colendi legere malle videbantur quam quod maiore librorum mss. numero exhibetur *Africanum*.

Belli Africani virtutem Carthagine finem fecisse dictum esse volunt qui legunt *Africano*. At paulo inanius — pace virorum doctorum dictum sit — hoc mihi quidem videtur sonare. An non plurima bella cuiuscumque vel quorumcumque virtute confecta sunt? Neque vero Carthagine bella Africana finem habuere. Fuit enim Africanum cum Iugurthinum, ut recte dicit Bentleius, tum imprimis illud quo Pompeiani a Caesare victi sunt¹⁾. Sed haec quidem leviora. At vellem mihi probari *sepulcrum condere alicui* idem esse atque *sepulcro condere aliquem*. Sepeliri, i. e. finire, tolli dici possunt bella²⁾, sepulera hominibus eriguntur. Deinde si virtus sepulcrum alicui condidisse dicitur, quaerendum est, cuius? Nonne eius ipsius cui sepulcrum conditum est? Ex quo sequitur unice recte traditum esse *Africanum*, qui ipse sibi super Carthaginem deletam virtutis suae monumentum erexit.

At sepulcrum non idem valet atque monumentum! Sunt sane monumenta quae non sunt sepulera, nec tamen sepulera sunt, quae non sint monumenta, ut saepissime pro sepulcro monumentum dicatur, velut Tusc. V, 64 'cuius ego . . . indagavi *sepulcrum*; tenebam

¹⁾ *Africani* quod ad *virtus* referendum cum Madvigio scribi iubet Kiesslingius mihi quidem nimis durum videtur.

²⁾ Cf. Cic. de imp. Cn. Pomp. § 30: *bellum expectatione eius attenuatum atque imminutum est, adventu sublatum ac sepultum*. Idem Tusc. II, 32: *Amittenda fortitudo est aut sepeliendus dolor*.

enim quosdam senariolos quos in eius *monumento* esse inscriptos acceperam, qui declarabant in summo *sepulcro* sphaeram esse positam cum cylindro'. Itaque ut Graece *μνημα* et *τάφος* sic Latine *sepulcrum* et *monumentum* inter se commutare licebat atque optime monuit Bentleius ut Valerium Maximum (I, 7 ext. 3) Simonidem carmine elegantissimo cuidam diuturnum *sepulcrum* in animis hominum constituisse, similiter Horatium suis carminibus sibi ipsum se *monumentum* erexisse dicere, quod cum quasi sepulcri monumentum noster intellegi voluerit, cum pyramidibus comparat. Atque ut poetae carminibus, sic exercituum duces victoriis monumenta sibi exstruunt. Itaque optime Aemilianus deleta Carthagine sepulcri monumentum, quippe quo post mortem memoria virtutis servaretur, sibi condidisse dici potuit, ut Propertius Curtium lacunis expletis monumenta statuuisse dicit (III, 11, 61), qui idem Corneliam regna Afrae Numantinos avos loqui (IV, 11, 30) et sub titulis maiorum suorum Africam iacere dicentem facit: v. 37 *testor maiorum cineres tibi, Roma, colendos, sub quorum titulis, Africa, tonsa iaces*. Ut igitur a Propertio Scipiadarum sub titulis Africa iacere, sic ab Horatio superstructum esse Carthagini sepulcrum Aemiliani dicitur.

Eclogae IX. cum quasi respondeat carmen I, 37, fieri non potest quin illa rectius intellecta ad hoc quoque aliquid lucis redundet. In quo explicando Kiesslingius, qui tam egregiam Horatio operam praestitit, mirum quam non fuerit felix. Friedrichius autem qui singula quaedam rectius explicavit, tamen summam rerum parum perspexit.

Rectissime Buechelerus *tempus erat ornare* interpretatur: *debebat ornari sed ornatum non est*. Quem secuti Kiesslingius et Friedrichius reprehensionem quandam senatus, quod lectisternium habitum non sit, in his verbis inesse putant. Qua de re vereor ne nimium viri doctissimi affirmaverint. Primum enim dubito an Bueche-

lerus minus recte e Dione coniecerit mortui Antoni nuntio Romam allato senatum supplicationem edixisse, post mortem Cleopatrae nullam esse habitam. Legitur sane apud Dionem: ὡς μέντοι καὶ τεθνεῶτα αὐτὸν ἐπόθοντο . . . προσεφη-
φίσαντο τῷ Καίσαρι καὶ στεφάνους καὶ ἱερομηγίας πολλὰς, sed pergit ille quidem καὶ αὐτῷ καὶ ἕτερα ἐπινίκια ὡς καὶ τῶν Αἰγυπτίων ἀγαγεῖν ἔδοσαν· τὸν γὰρ Ἀντώνιον καὶ τοὺς σὺν ἐκείνῳ νικηθέντας οὔτε πρότερον οὔτε τότε, ὡς καὶ ἐορτάζειν σφῶς ἐπ' αὐτοῖς θεὸν ἀνόμασεν (LI, c. 19, 4, 5). Ad omnes igitur, id quod ex eis quae sequuntur etiam elarius elucet, qui post mortem Antoni Caesari habiti sunt honores, Dio hic spectat et quod dicit post mortem Antoni hos Caesari decretos esse honores, ex eo minime efficitur id fieri coeptum esse, priusquam Cleopatram mortem sibi conscivisse cognitum esset. Deinde Horatius nec senatum nec nescio quos alios reprehendi voluisse mihi quidem videtur. Certe posterioribus temporibus ipse quoque aetatis Augusteae initium ab Alexandria capta repetit¹⁾ atque dicere *tempus erat* est sententiam enuntiantis quam utrum quis sequatur necne dubium nec magni momenti sit. Nondum erant ornata deorum pulvinaria, cum haec scriberet noster, sed quin primo quoque tempore ornarentur non video quid obstiterit.

Nec sunt quos noster vituperet, quod pugna Actiaca facta Caecubum biberint, id quod Friedrichius sibi persuasit (p. 115). Nam cum diceret

*Antehac nefas depromere Caecubum
cellis avitis,*

nec vesperum eius diei quo ad Actium decertatum est nec diem illum quo Alexandria se dedit nec omnino ullum aliud a pugna Actiaca usque ad mortem Cleopatrae tempus significare se velle quomodo potuit magis declarare quam cum addidit

*dum Capitolio
regina dementes ruinas
funus et imperio parabat?*

¹⁾ C. IV, 14, 34: *Nam tibi quo die portus Alexandria supplex et vacuum patefecit aulam, Fortuna lustris prospera tertio belli secundos reddidit exitus.*

An est qui putet Cleopatram cum Antonio Alexandream fugisse, ut Capitolio ruinam pararet? Sane classe Antoni ad Actium deleta non omne quod ab Antonio timendum fuerat periculum remotum erat, atque certe Caesar et Agrippa sibi conscii erant uberrimo victoriae fructu se esse privatos, cum Antonio et Cleopatra potiri non potuissent. Neque tamen hi ei erant qui id urbi et orbi adnuntiarent, et ea erat ipsa victoria cuius cur paeniteret victores certe non esset. In qua totius belli tamquam fabulae περιπέτεια inerat, cuius ipse finis reginae morte factus est. Sed iam ante eius mortem cum Antonio mortuo tum Alexandria capta quidquid periculi reliquum erat sublatum est. Nec aliud Horati de ea re iudicium erat, qui totum bellum ita adumbravit, ut in Actio summam rerum versari satis appareret. Sed rectius aliis res ad Actium gestas perspexit, quippe quibus ipse interfuisset, et diligenter legentibus optime illustravit. —

*Sed minuit furorem
via una sospes navis ab ignibus*

Non satis ad veritatem haec dicta esse adnotavit Kiesslingius et est certe in eis poetica quaedam ὑπερβολή, sed immenso propius noster ad verum accessit Plutarecho, qui quam nulla fide dignus sit, cum ex aliis tum ex eo apparet, quod ignium omnino nulla mentione facta trecentas eo proelio naves a Caesare captas esse scribit. Cuius numeri quamquam ipsum Caesarem testem affert, tamen non potest eius testimonium recte adhibuisse. Quod utrum ad totum bellum referendum sit, ut placuit Kromayero¹⁾, an Augustus in commentariis suis ad Agrippam et Maecenatem scriptis, unde hoc sumptum esse videatur, captas omnes Antoni naves proelio deletas dixerit, an ad verum aliquid affinixerit quo res magnificentior esse videretur, disceptari posse non putaverim.

Non plus CLXX naves Antonium in proelium duxisse memoriae prodidit Orosius (VI, c. 19), id quod cum rerum

¹⁾ Die Entwicklung der römischen Flotte, Philol. LVI (1897) p. 463.

natura optime consentire probavit Kromayerus (p. 31). Sed hoc utut est, certe graviter Plutarchus vituperandus est, quod ita scribit, quasi naves omnes a flammis integrae sponte Caesari deditae sint. Nam ut totius cladis culpae unam Cleopatram convinceret, Antonianos cum etiam post Cleopatrae fugam duce destituti diu acriter Caesari restitissent tempestate maxime detrimento capto decima demum hora proelio destitisse narrat.

Verum Antoni consilium cum egregie, ut supra dixi, Kromayerus explicasset, miror quod quatenus singulis rerum scriptoribus fides esset habenda non satis perspicuus res plane sibi contrarias inter se conciliari posse putavit. Magna enim est quaestio, quomodo Antonio et Cleopatrae contigerit ut ex proelio effugerent. Ad quam solvendam non debuit vir doctissimus Plutarchum auctorem adhibere, qui rem ineptissime ita describit, quasi et Caesariani et Antoniani novitatis rei admiratione et stupore oppressi per medias pugnantium acies spatio dato Cleopatram evadere passi essent: *Ἀκρίτου δὲ καὶ κωνῆς ἔτι τῆς ναυμαχίας συνεστώσης αἰφνίδιον αἱ Κλεοπάτρας ἐξήγοντα νῆες ὤφθησαν αἰρούμεναι πρὸς ἀπόπλουν τὰ ἰστία καὶ διὰ μέσου φεύγουσαι τῶν μαχομένων . . . Οἱ δὲ ἐναντίοι θαυμάζοντες ἐθεῶντο τῷ πνεύματι χρωμέναις ὀρῶντες καὶ ἐπεγούσας πρὸς τὴν Πελοπόννησον (c. 66)*. Nam quamquam equidem rerum militarium imperitissimus sum, vereor ne Kromayerus ut Plutareho subveniret praecepta nostris copiis pedestribus ad hostium aciem opprimendam data parum recte ad res maritimas transtulerit: „Das preussische Exercierreglement schreibt vor, dass der Sturm auf die feindliche Stellung in dem Augenblicke zu beginnen hat, in dem die Reserven in die Feuerlinie einrücken. Dann springt alles auf, und mit gemeinsamer Kraft geht es vorwärts. Die neu herbeigekommenen Mannschaften verstärken nicht nur die physische, sondern auch die moralische Kraft der Truppe. Der Choc von hinten reisst alles mit vorwärts. Ein Choc von 60 Schiffen konnte allein noch in das zum Stehen gekommene Gefecht wieder eine kräftige Vorwärtsbewegung hineinbringen. Jetzt oder nie musste der Augenblick

benutzt werden. Cleopatra tut, was der Moment verlangt: sie lässt die Segel hissen, sie bricht vor, bricht durch. Ihrem Stoss weicht Freund und Feind.“

Antonium sibi proposuisse non ut Caesarem vinceret, sed ut cum navibus quam plurimis per navium Caesarianarum ordines perrumperet, Caesarem et Agrippam id consilium perspexisse Kromayerus ita probavit, ut de eo dubitare non liceat. Quocum ea quae a Plutarcho narrantur et aperte pugnant et ipsa per se absurda sunt: reicienda igitur sunt. At Dio in hoc ipso cum Plutarcho consentit, quod subita et improvisa Cleopatrae fuga Antonium perterritum et ipsum fugisse et ceteros animo defecisse dicit. Sed Dio in eo in quo cum Plutarcho consentit, sibi ipse parum constat. Nam si id convenerat inter Antonium et Cleopatram, ut si sibi resisteretur per vim altum peterent (οὐ μέντοι καὶ χρούφα ἢ καὶ φανερώς ὡς καὶ φεύγοντες ἐκπλεῦσαι, μὴ καὶ ἐς θέος τοὺς συμμάχους ἐμβάλωσαν, ἠθέλησαν, ἀλλ' ὡς ἐπὶ ναυμαχίαν παρασκευαζόμενοι, ἔν' ἅμα, ἂν τι ἀντίστηται, βιάσονται τὸν ἔκπλοον c. 15, 3), Antonius cum Cleopatram secundum id quod convenerat agere vidisset, nec debuit nec potuit suspicari metu commotos nautas eius fuga salutem petere (καὶ οὕτω τὰ τε ἰστία αὐτῶν εὐθὺς ἀραμένων καὶ ἐς τὸ πέλαγος ἀφέντων, ἀνέμου τινὸς κατὰ τύχην φοροῦ συμβάντος, νομίμας ὁ Ἀντώνιος οὐχ ὑπὸ τῆς Κλεοπάτρας αὐτοῦς ἐκ παραγγέλλεως ἀλλὰ καὶ ὑπὸ θεοῦ ὡς καὶ νενικημένους φεύγειν ἐφέσπετο σφίσι c. 33, 3).

Nec vero cum eis quae sequuntur haec posteriora conveniunt. Quid enim? Cum diu ancipiti Marte pugnatum esset, fuga Cleopatrae factum esse, ut ceteri quoque fugae se mandarent, postquam narravit (ἀγχωμάλου οὖν ἐπὶ πολὺ τῆς ναυμαχίας οὐσῆς καὶ μηδετέρων ὑπερέχειν πῆ δυναμένων τέλος τοιούδε τι ἐγένετο γενομένου δὲ τούτου καὶ οἱ λοιποὶ στρατιῶται καὶ ἠθύμην καὶ ἐταράχθησαν c. 33, 1 et 4), quasi nulla rerum commutatio facta esset, perguit aequo Marte eis dimicantibus Caesarem dubitantem, quid faceret, ignem navibus inferre constituisse, cum alio modo vincere non potuisset (ἀντιπάλως οὖν αὐτῶν μαχομένων ὁ Καῖσαρ ἀπορήσας ὅτι πράξει

πῦρ ἐκ τοῦ στρατοπέδου μετεπέμφατο . . . ἰδὼν ὅτι ἀδύνατόν οἱ εἶη ἄλλως πως κρατῆσαι c. 34, 1).

Ex alio fonte Plutarchi similiore caput illud XXXIII manasse apparet.

Antonius et Cleopatra quomodo paene e manibus hostium effugerint, cum certe Caesar nihil antiquius haberet quam ut id ne fieret impediretur, vereor ne nunquam certo sciat. Cleopatram autem non ut pavidam mulierem a pugnando se subduxisse, sed hostibus obviam ire minime dubitasse testis locupletissimus est Vergilius, qui quamvis poetice res ornaverit tamen haudquāquam summam earum, ut Plutarchus, adulteravit.

Aen. VIII,

685 *Hinc ope barbarica variisque Antonius armis
victor ab Aurorae populis et litore rubro
Aegyptum viresque Orientis et ultima secum
Bactra vehit, sequiturque (nefas!) Aegyptia coniunx.*

*Una omnes ruere ac totum spumare reductis
690 convolsum remis rostrisque tridentibus aequor.*

*Alta petunt: pelago credas innare revolsas
Cycladas aut montis concurrere montibus altos,
tanta mole viri turritis puppibus instant.*

Vide quam recte Antonianos alta petere dictum sit. Id enim summis opibus nitebantur, cum contra niterentur Caesariani. Qui cum eos aliter continere non possent, faces navibus admoverunt:

*Stuppea flamma manu telisque volatile ferrum
695 spargitur, arva nova Neptunia caede rubescunt.*

Ne tum quidem Vergilius reginam pericula undique se circumstantia expavisse dicit:

*Regina in mediis patrio vocat agmina sistro
necdum etiam geminos a tergo respicit anguis.*

In hac ipsa turba, cum frustra Antoniani flammam extinguere studerent, vento secundo, ut videtur, oborto¹⁾

¹⁾ Dio, L, c. 34, 5 χρόνον μὲν τινα ἐκολούσθη τε ὑπ' αὐτῶν τὸ πῦρ καὶ ἔδοξε πη λωφᾶν, ἔπειτα δὲ ἄλλως τε καὶ τοῦ ἀνέμου σφοδρῶς ἐπισπέρξαντος ἐπὶ πλείον ἐξέλαμψεν.

Antonio et Cleopatrae contigit, ut cum parte quadam navium aufugerent. Quam rem Caesari minime exoptatam Vergilius Deo ipsi auctori tribuens bona fide in laudem Caesaris convertit.

Actius haec cernens arcum tendebat Apollo
705 *desuper: omnis eo terrore Aegyptus et Indi,*
omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabaei.
Ipsa videbatur ventis regina vocatis
vela dare et laxos iam iamque inmittere funis.

Sed ad Flaccum redeamus, qui quanta fide res a principio belli Actiaci repetens usque ad mortem Cleopatrae persecutus sit, facile intelleges, si id unum tenebis comprehendisse eum, ut est poetarum, quae et locis et temporibus inter se distarent ita, ut in uno conspectu omnia videres.

Mentemque lymphantam Mareotico
redegit in veros timores
Caesar ab Italia volantem

Remis adurguens accipiter velut
molles columbas aut leporem citus
venator in campis nivalis
Haemoniae, daret ut catenis

Fatale monstrum.

Post pugnam Actiacam Caesar Antonium et Cleopatram non est longius persecutus, in Aegyptum non venit nisi anno post nec id ab Italia, sed ab Asia. Rectissime igitur Friedrichius illud Caesaris in Aegyptum iter hic intellegendum esse negat (p. 112); post ipsum proelium reginam timore perterritam esse, ne fugiens Caesaris navibus opprimeretur. Quod si ita esset, cur ab Italia noster Caesarem Cleopatram remis ursisse dixit? At audi interpretes res ipsas mirum in modum inter se commutantes: Actium in ipso limine Italiae situm esse dicunt, idem igitur valere *ab Italia* ac si dictum esset *ab Actio*. Mihi quidem *ab Italia* idem esse atque *a Brundisio* videtur. Iam vero

quo potissimum tempore regina Capitolio dementes ruinas paravit? Tum, ni fallor, cum a Patris profecta in mare Ionium vela dedit. Quid tum Caesar? Nonne re vera ut accipiter in columbas sic in hostes irruit, cum a Brundisio accurrens Antonium et Cleopatram in sinum Ambracium refugere cogeret, ubi per sex fere menses eos ita coercuit, ut denique manus eos daturus esse suo iure sperare posset? En Horatium Kromayeri de bello Actiaco sententiae testem locupletissimum ex eis qui ipsis rebus intererant excitatum! Sane in veros timores redacti erant Antonius et Cleopatra, cum unum post alterum ex suis ad Caesarem transfugere videntes de victoria desperarent.

Neque tamen ea erat Cleopatra, quae sua sponte hosti se dederet, nec pugnam inire dubitavit, ut libera mori posset.

*Quae generosius
perire quaerens nec muliebriter
expavit ense nec latentes
classe cita reparavit oras.*

Optime Friedrichius haec ita interpretatus est, ut Cleopatra nec pugnam metuisse nec remotas terras petere maluisse diceretur, quamquam ad ipsam pugnam Actiacam haec spectare ille quidem non vidit. Quae narrat Plutarchus Cleopatram cum Alexandriae a Proculeio caperetur se ipsam ferire conatam esse, iam idcirco Kiesslingius adferre non debuit, quod certe regina non ense secum habebat et Plutarchus ipse pugione qualem latrones gererent eam usam esse dicit¹⁾. Nec qui haec ita interpretantur quae insit climax in verbis Horatianis vident: ne in vincla coniecta ad triumphum et supplicium traheretur, regina pugnam non vitavit nec vero post pugnam in terras remotas se abdidit, sed in regiam iacentem, — amissa enim pugna amissum erat regnum — rediit, ut ibi fortiter ipsa mortem sibi conscisceret:

¹⁾ Μεταστραφείσα και θεασαμένη τον Προκλήιον ὤρμησε μὲν αὐτὴν πατάξει· παρεζωσμένη γὰρ ἐτόγγανέ τι τῶν ληστρικῶν ξιφιδίων c. 79.


*Ausa et iacentem visere regiam
vultu sereno, fortis et asperas
tractare serpentes, ut atrum
corpore combiberet venenum.*


Iam illud quoque

Deliberata morte ferocior

rectius, ni fallor, intellegetur, quod quid sibi vellet, priusquam totum nostri consilium perspicerem, me plane ignorasse fateor: desperata salute regina proelium iniit id unum spectans, ut cum per hostes perrupisset se suoque regno digna in patria periret, quod ipsum ei animum addidit, ut ferociter pugnare auderet. Cum igitur a victore navibus ad triumphum in Italiam duci nollet, quamquam se perisse videbat, tamen regno se non abdicavit, sed effecit ut inter suos in sua regia regina animam efflaret:

*saevis Liburnis scilicet invidens
privata deduci superbo
non humilis mulier triumpho.*





TIFFEN® Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007

